22,1

Jahresbericht

über den

Schulcursus 1838–39

am

Königlichen Gymnasium zu Bonn.

Von

Nicol. Jos. Biedermann.
Director des Gymnasiums.

REAL-SCHULE ZU DÜSSELDORF

INHALT:

I. Philologische Bemerkungen 1) Ueber die spindeltragenden Göttinnen der Griechen; 2) Ueber das homerische *ΑΥΤΟΦΙΝ* und die Erklärung desselben; 3) Ueber einige kurze, sprichwörtlich gefasste Redeweisen im Homer. Von Hrn. Professor Dr. Lucas.
II. Schulnachrichten.

Bonn,
gedruckt bei Carl Georgi.

950 9 (1839)

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

CAPUT PRIMUM.

DE DEABUS COLIGERIS GRAECORUM.

Deorum insignia cum eo consilio inventa sint, ut vel naturam deorum intuentibus accurate exprimerent, vel singulares facultates et munera quaedam indicarent, fieri facile potest, ut, quoniam mirabilis saepe munerum varietas in diis conspicitur, aliam aliis locis significationem habere dicantur, prout aliquis suo fretus iudicio convenienter sibi videtur statuisse. Quo in genere disputationis levius peccatur, sed peccatur tamen, si fortuito usuvenit, ut, quamvis ratio unum probare atque eligere debeat, ad plura illud non iniuria referri possit; at satis graviter peccabitur, si quis neglecto scriptorum usu posthabitaque temporis ratione, munerum naturam confundat sententiamque in uno deo non male probatam pari iure in aliis, quibus idem signum tributum esse constat, confirmare atque urgere velit. Etenim qui ea ratione ductus illam viam argumentationis constanter persequatur, fieri non potest, quin in maximos inducatur errores et ad devia quaeque feratur. Haec vitanda sunt, et vitabuntur plerumque, si insignia pluribus diis data ita comparantur et considerantur, ut, quae significatio omnibus communis sit, iudicari queat, atque utrum ad deorum naturam indicandam pertineat, an ad singulas facultates spectet, perspicue intelligatur. Cuius rei ut unum exemplum afferamus, qui in veterum poetarum carminibus Dianam venationibus non interesse solum, verum etiam praeesse, eamque sagittis et uti et gaudere cognoverit, minus recte iudicabit, si venatricem

solis sagittis indicari contendet, ita ut etiam Apollo, eius frater, eadem ut par est natura insignis, quoniam vel ipse arcum sagittasque gestat, ad venationem referendus esse videatur. Hoc de Apolline quis audeat statuere? neque facile antiquissimis temporibus de Diana valeat. Etenim cum utriusque dei natura partim salutifera sit, partim mortifera, ob hanc rationem, quam in Diana quidem vita vulgaris ad venandi munus passim transtulit, utrique deo probabile est sagittas tributas esse, quibus homines occidunt, Apollo viros, mulieres Diana. Eadem illa vis perniciosa valet in telis, quae parturientibus immittunt Iunonis filiae, Ilithyiae, de quibus ita Homerus, Il. λ, 269.

ὡς δ' ὅτ' ἂν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
δριμύ, τό,τε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι,
Ἥρης θυγατέρες, πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι —

Quae praecepta atque exempla quoties mecum reputarem, colum illam, quam Minervae aeque atque aliis deabus ab antiquissimis inde temporibus tributam esse sciebam, ad lanificium pertinere, in quo exercendo veteres fabulae Minervam tanquam magistram egregiam praedicant, non facile poteram mihi persuadere, quoniam illa exercitatio non eam gravitatem habeat, quanta opus esse videtur ad insignia deorum condenda. Fuit Minerva summa maiestate insignis, potentiaque ita inter reliquos deos eminere existimabatur, ut ab ipsa Iunone, deorum regina, dicatur πᾶσιν μακάρεσσι μεταπρέπειν ἀθανάτοισιν (hymn. in Apoll. I, 315). Idem testantur Homeri carmina, quae probant a Iove patre vix quidquam unquam illi filiae denegatum esse; neque denique in deae cultu sacro documenta certissima desunt. Itaque cum in Minervae natura intelligentiae fontem viderent, unde rerum scientia omnino petenda esset, illud munus, quod habet nomine Ἐργάνη insignis, quoniam sub eius tutela sunt omnia genera opificii, textorii potissimum, in singularibus atque secundariis ponendum esse, colum autem de maiestatis et potentiae notione generaliter interpretandam esse arbitror. Iam antiquas Minervae statuas colo insignes fuisse constat, atque ipsum Palladium sive Minervam illam iliensem, cuius variae species in numis inveniuntur, colum gestasse veteres consentiunt. Quare miror, Eckhelium, virum praestantissimum, stomachari cum Fonteno, quoniam, quod Minerva manu ferat, de colo interpretatus sit (cfr. doctr. num. vet. vol. II, p. 484.); nam ipse pro

colo taedam videre sibi videtur. Quod etsi non abhorreat a Minervae natura, de colo tamen oculi eorum, qui numos illos inspiciunt, certissimi testes existimandi sunt; neque Fonteni sententia acumine quodam nititur, sed sensuum sanitate. Neque etiam in singularibus veterum testimoniis unus ille Apollodori locus, quem laudat Eckhelius, consulendus est, sed alia documenta de variis Minervae statuis illam rem confirmant. Apollodorus (Biblioth. III, c. 12. 3.) Palladium (διϊπετές) dicit τρίπηχυ, τοῖς δὲ ποσὶ συμβεβηκός, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ δόρυ διηρμένον ἔχον, τῇ δὲ ἑτέρᾳ ἠλακάτην καὶ ἄτρακτον. De Palladio iliensi haec tradit Eustathius (ad Jl. p. 627, 6.), φασὶ δὲ τὸ ἐν Τροίᾳ Παλλάδιον διοπετὲς μὲν εἶναι, ἦγουν ἐξ ἀέρος ἄνωθεν οὐρανόθεν πέσον, ἀνδρὸς δὲ δορὰν ἠμφιέσθαι, στέμμα τε ἔχειν καὶ ἠλακάτην, ἐν δὲ κεφαλῇ πῖλον καὶ δόρυ ἐν τῇ δεξιᾷ. Utrum illa statua steterit, an in solio sederit, non pro certo apud Eustathium statuitur, sed et recte coniicitur, et alii veterum interpretum (Strab. XIII, p. 897. E.) disertis verbis tradunt, antiquissimam illam statuam, quam Homerus commemoret, sedisse; idque cum ex Homeri (Jl. ζ, 92. 273.) verbis patere,

θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο,

tum aliis iisque antiquissimis Minervae statuis (ξοάνοις) confirmari, quae Phocaeae, Massiliae, Romae et apud Chios exstitissent (Eust. ad Jl. p. 627, 14); quibus ad rem confirmandam adde statuam Minervae Erythraeae (Pausan. VII, 5, 4.). Quae Eustathii disputatione proponuntur, continentur fere scholiis ad Homerum (l. l.); sed brevius. Illud ἀνδρός, quod quo referas non facile dici potest, Heynius (ad Apollod. III, 12, 3.) non improbabiliter mutavit in αἰγός; sed miror, eundem non offensum esse vocabulo πῖλον, quod hoc loco omnino falsum est; scholia exhibent πόλιν; neutrum verum est; lege πόλον, hoc est *calathum*, quo Minervam insignem esse et alii veterum loci declarant, et statua illa Minervae Erythraeae (Pausan. VII, 5, 4.). Similiter Minerva expressa invenitur in numis antiquis, quorum unum diserte commemoro Smyrnae repertum. In eius altera parte solum Minervae caput, in altera Minerva ipsa gradiens conspicitur, dextra manu iaculum tenens, sinistra colum, in capite calathum. Quae circa deam leguntur, ΑΘΗΝΑΣ ΙΛΙΑΔΟΣ ΑΠΗΜΑΝΤΟΥ, viris doctis persuaserunt, eam Palladii effigiem esse. Tu vide huius numi accu-

ratam descriptionem hist. de l'acad. des inscript. T. V, p. 265. Erythris teste Pausania (VII, 5, 4.) aedes fuit Minervae Poliadis, cuius e ligno simulacrum eximia magnitudine in solio sedens utraque manu colum tenebat, in capite calathum gestans. Denique etiam Lucianus (de dea syria T. IX, p. 117. ed. Bipont.) Minervam colo plerumque insignem fuisse testatur. Ex his, quae disputavimus, efficitur in colo Minervae duplicem rationem observandam esse, alteram primariam et universalem, qua divina natura et potentia eximia generaliter indicatur, alteram secundariam et singularem, qua puellis et mulieribus munerum artiumque praeses et magistra habetur. Utra ratio in singulis locis valeat, orationis contextus docebit. Virgilium quidem hunc duplicem usum aut ignorasse, aut neglexisse, versus eius in Aeneide (VII, 803. sq.) probant,

hos super advenit Volsca de gente Camilla,
agmen agens equitum et florentes aere catervas,
bellatrix: non illa colo calathisque Minervae
femineas assueta manus, sed proelia virgo
dura pati, cursuque pedum praevertere ventos.

Cum multis locis rem domesticam pertractet Homerus accurateque declaret commune mulierum munus in lana ducenda telaque texenda positum esse (Il. ζ, 491.) lanamque pexam et carminatam esse plerumque a servabus (Od. σ, 315.), deinde repletam colum dominae traditam esse, ut neret, nulla potest oriri controversia de voce ἠλακάτη (Il. ζ, 491. Od. δ, 131. ζ, 53. σ, 313.). Quamvis Dianae signa aperte docerent, deae colum a veteribus esse tributam (Lucian. de dea syr. T. IX, p. 117. ed. Bipont.), tamen cum in voce χρυσηλακάτη de singulis partibus, ex quibus composita esset, quaestiones proponerentur, mirum est, quantopere dissenserint interpretes. Totus ille grammaticorum grex in duas partes dividitur, quarum una veteres fere complectitur, altera recentiores, ita quidem, ut illi existiment, Dianam, quam Homerus vocat χρυσηλακάτην (Il. π, 183. υ, 70. Od. δ, 122. hymn. in Vener. 16. 118. et hymn. XXVI, 1. Soph. Trach. 637.), *aureis telis* instructam esse, hi plerumque *aureae coli* notionem amplectendam esse contendant. Cfr. Spitznerum apud Koeppenium ad Hom. Il. π, 183. et Boeckhium ad Pind. Ol. VI. sub finem. In eo veteres Homeri interpretes ne caecos dicam, hebetes profecto sunt, quod vulgarem et

communem rei alicuius notionem urgent, exquisitam negligunt et ad ridiculas ineptias refugiunt, ne periculum interpretandi evitasse videantur. Itaque cum vulgo de Diana venatrice compertum haberent (hymn. XXVI. in Dianam), hanc notionem mordicus tenuerunt, atque voce ἠλακάτη designari finxerunt sagittae arundinem (τὸν κάλαμον ἢ τὸ ξύλον τοῦ βέλους), cui superne ferrum esset infixum (cfr. schol. ad Jl. π, 183. Eustath. ad Jl. p. 1053, 63. Etym. p. 424, 48. Hesych. s. v.); indicari igitur deam κυνηγετικήν sive τοξευτικήν, χρυσότοξον. Alii coli significatione servata cognomentum interpretati sunt de dea laboriosa, quam Ἐργατικήν vocant (schol. ad Jl. υ, 70.). Colum cogitandam esse, vel ii intellexerunt, qui illud χρυσέην τ' ἠλακάτην (Od. δ, 131.) considerarent; itemque ad rem perspiciendam conferunt χρυσηλάκατος et ἰοχέαιρα, quae epitheta uno eodemque loco Dianae tribuuntur, ita ut eorum significationem ad eandem notionem sagittarum referre vix probabile sit; denique accedit illud testimonium Luciani, qui Dianam colum gestasse diserte monet. De telo argumentationem labefactari adeoque dirimi, ipsos veteres interpretes non fugit, cum alias deas, Amphitriten (Pind. Ol. VI, 104.), Nereides (Pind. Nem. V, 36.), Latonam (Pind. Nem. VI, 41.), Meliam (Pind. fragm. 6. ed. Boeckh. cfr. Boeckh. ad Pind. T. II, 2. p. 561.) eodem cognomento a Pindaro ornatas esse pateret, quibus tela non convenirent. Quare cum iis aqua haereret, incerti quo se verterent, in voce χρυσηλάκατος apud Homerum tela, apud Pindarum colum statuerunt, ut ostendit Eustathius ad Od. p. 1488, 31. Πίνδαρος (Ol. VI, 104.) δὲ ἐθάῤῥησε συνθέτως ἐντεῦθεν χρυσηλάκατον Ἀμφιτρίτην εἰπεῖν, οὐ κατὰ τὴν Ἄρτεμιν. αὕτη μὲν γὰρ χρυσᾶ ἠλάκατα ἔχει, ὅ ἐστι τόξα, Ἀμφιτρίτη δὲ χρυσῆν ἠλακάτην ὁμοίως τῇ Ἑλένῃ (Od. δ, 131.); quam inconstantiam secutus est Dammius, qui vel in deabus illis apud Pindarum quo consilio χρυσηλάκατος dictum sit, falso exponit. Boeckhius in egregio commentario ad Pindarum (Ol. VI. fin.) dicit Vossio se adstipulari, qui Dianam deam aurea colo ornatam existimet, utpote virginem; sed nemo non videt, quam infirmum sit hoc argumentum, quoniam vel deabus coniugibus idem cognomentum tribuitur. Quod Buttmannus statuit in commentatione de electro (Mythol. T. II, p. 359.), nomen esse deabus promiscue tributum ad dignitatem earum indicandam, id, ut solet, ingeniosissime fecit, sed non satis enucleate reique origini convenienter explicasse videtur.

Plurimas Graecorum deas colo insignes fuisse, testatur Lucianus (de dea syria T. IX, p. 117. ed. Bipont.), ubi Iunonem aliquid habuisse refert, quod Minerva, Venus, Luna, Rhea, Diana, Nemesis, Parcae ferant, eam altera manu sceptrum gestasse, altera colum. Constat etiam de aliis. Nam Cupidinis sive Ἔρωτος matrem Lucinam sive Εἰλείθυιαν esse voluit Olen, poeta ille lycius, qui antiquissimos hymnos Graecis composuit (Pausan. IX, 27, 2.); illam igitur Ilithyiam idem Olen vocavit Εὔλινον (vulgo ἐύλινον) propter colum, quam gestat maiestatis et potentiae signum, et eandem cum Peprómene esse dicit Saturnoque antiquiorem (Pausan. VIII, 21, 2.); cuius deae ministris, virginibus hyperboreis, in Delo defunctis, Deliorum puellae ante nuptias cincinnum abscissum coloque circumvolutum in monumento deponunt et consecrant (Herod. IV, 34.). Quod Lucianus (l. c.) testatur, Venerem colo insignem fuisse, comprobatur inscriptione, quae Athenis in templo Veneris Uraniae inveniebatur (Pausan. I, 19, 2.); patet enim hanc deam Parcarum esse natu maximam, quae cum Parcis Saturnum et Euonymen parentes habuisse dicitur in Epimenidis fragmento apud schol. ad Lycophr. 406. ed. Müller.

Quae cum ita sint, colum gestarunt Minerva, Diana, Venus, Luna, Rhea, Nemesis, Lucina, Iuno, Latona, Nereides, Amphitrite, Melia, Parcae et nescio an aliae, de quibus nondum contigit mihi certa testimonia comparare. Sed vel hic dearum numerus sufficit, ut colum in singulis non ad singularem facultatem referendam esse existimare possis; neque dubium esse videtur, quin communis quaedam notio tenenda sit atque sententia eiusmodi, coli imaginem antiquissimis temporibus generalem significationem expressisse. Ad quam rem perspiciendam facit theologiae graecae historia; cuius initia quo accuratius consideras, eo apertius vestigia unius dei conspicere licet, qui omnium et virtutum et praestantiarum et omnis denique potentiae notiones uno nomine complectitur. Sed vel iis temporibus, quibus deorum deinceps familia aut creata esset, aut constituta, Iuppiter ille non est princeps habendus inter pares, sed omnium longe supremus, sive potentiam spectas, sive sapientiam. Hac enim prae ceteris insignis censetur, quod ipsius Sapientiae sive Intelligentiae est maritus (Hesiod. Theog. 886.); potentiam vero luculenter declarat egregius locus Homeri (Il. Ξ, 5—27.), qui mirabilem praebet imaginem, vetustissimis sane coloribus depictam, qua

Iovem vultu severo conditionem severiorem reliquis diis proponere legimus. Itaque ille sapientissimus et potentissimus deorum pater atque hominum, quae unicuique conveniunt, tribuere dicitur, bona aeque ac mala, quorum haec et illa separata in doliis contineri tradit Homerus (Jl. ω, 526.). Ex illis doliis Iuppiter miscet suam cuique partem, quae vocatur sive μοῖρα, sive αἶσα, sive ἡ εἱμαρμένη (μείρομαι) sc. αἶσα, sive ἡ πεπρωμένη (πόρω) sc. μοῖρα, atque homini nascenti potissimum (Jl. υ, 128. ω, 210.) et matrimonium subeunti fata constituit (Od. δ, 208.). Cum vero singulae fere summi dei notiones et facultates in singulos deos a poetis mutarentur, tum reliquis diis sua cuique potestas tribuendi, hoc est nocendi et gratificandi data est (Od. α, 17. λ, 139. γ, 208. ϑ, 579. π, 64. υ, 196. Jl. ω, 525.), tum ipsae notiones tribuendi divina specie sunt exornatae (Jl. υ, 127. φ, 82. ω, 49. 209.). Atqui ut antiquissimis temporibus cogitationes qualescunque repraesentabantur fictionibus aut ex hominum negotiis, aut ex rerum natura depromtis, ita nascentium et futurarum rerum notio imagine coli significabatur. In qua quidem imagine si vitae humanae conditionem consideras, vicissitudinem, fragilitatem habitumque imbecillum et caducum, multum veritatis cognoscitur et nativi coloris (Eustath. ad Jl. p. 1200, 10. ad Od. p. 1576, 53.); etenim fila e colo tenuia ducuntur et imbecilla, eademque caute et diligenter tractanda sunt, ne celeriter frangantur, omnino, ut Ovidius ait, *omnia sunt hominum tenui pendentia filo.* Itaque factum est, ut Graeci antiqui non simpliciter de rebus tribuendis loquerentur, sed vividius loquendi genus usurparent de colo et de filis ductis translatum. Huius rei exempla apud Homerum permulta inveniuntur, in quibus legitur ἐπικλώϑειν (Od. π, 64. λ, 139. γ, 208. δ, 208, υ, 196. α, 17. ϑ, 579. Jl. ω, 525.) vel ἐπινέειν (Jl. υ, 128. ω, 210.). Cognatum est ὑφαίνειν, proprie usurpatum (Od. η, 105.) et improprie (Jl. γ, 212. ζ, 187.). Quod genus opificii ut a viris alienum est, ita ad deas iure transferebatur; neque dubitandum est, quin Graeci in antiquissimis religionibus deas plane omnes colo insignes putarint quippe potentes tribuendique facultate instructas. Quae peculiari tribuendi munere funguntur et ex Iovis nutu hominibus fata administrant, olim singulari numero cogitabantur. Dicta est illa dea a tribuendo sive Αἶσα, ut Jl. υ, 127.

ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἄσσα οἱ Αἶσα

γεινομένῳ ἐπέννησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ,

sive Μοῖρα (Jl. ω, 209.), quae eadem ab imagine opificii, quod eam exercere fingebant, Κλωθώ nuncupata est; deinde tres deae statuuntur, Iovis filiae (Hesiod. Theog. 905.), nomine communi Μοῖραι (Jl. ω, 49.) sive Κατακλῶθες (Od. η, 197.), quibus cum nendi munus variatum et amplificatum esset, singulis nomina imposita sunt, Κλωθώ, *Neia*, Λάχεσις, *Sortia*, et Ἄτροπος, *Nevorta* (Hesiod. Theog. 218. schol. ad Jl. ω, 525. et υ, 128.), ita tamen ut cum Iove, qui Μοιραγέτης dicitur (Paus. V, 15. VIII, 37. X, 24.), in religionibus apertissime coniungantur.

Quarum dearum natura varia illa in duabus prioribus multum habet similitudinis, quippe in tribuendo posita, ita ut Clotho colum gestet filumque fatale neat, Lachesis id, quod illa nevit, porrigat et attribuat; sed Atropos sua natura severa a sororibus distat ideoque ab Hesiodo (Scut. Herc. 258.) debilior fuisse dicitur corporeque minor sororibus fingitur, aetate tamen provectior et dignitate praestantior. Quae quidem imago eo redire videtur, quod Atropos, cum non nendo attribuat, sed de sorte cuique tributa morose decernat dissecto filo, vitae modum quendam imponat in eoque munere ad sui nominis significationem agat, constans, fidelis, inexorabilis merito habebatur; cumque tristem fere moriendi conditionem excitet, ipsa eius natura tristem personam desiderat et ad debilitatem quandam aetatemque decrepitam eodem iure refertur, quo sive Moeror apud Hesiodum (Scut. Herc. 264.) dicitur γουνοπαχής (*aegre incedens*), sive Poenitentia apud Homerum (Jl. ι, 502.) corpus contractum habet et rugosum, contra illa dea, quae homines ad crimina committenda allicit, quam Ἄτην Homerus vocat (Jl. ι, 505.), robusta est atque pedibus firmiter superbeque incedit. Neque tamen illam sive magnitudinis diversitatem Parcis propriam, sive naturam singularem vulgaris vitae rationibus consentaneam ab artificibus graecis constanter expressam esse quippe a pulchri specie et elegantiore sensu paulo recedentem, monumenta testantur a Welckero, viro summo, explicata in commentatione de Parcis (Zeitschr. f. Gesch. u. Auslegung der alten Kunst p. 197.), ubi permulta in nostram rem continentur ingeniosissime disputata.

CAPUT ALTERUM.

DE VOCE HOMERICA ΑΥΤΟΦΙΝ EIUSQUE INTERPRETATIONE.

Sexies idque in Iliade legitur *αὐτόφι* cum praepositione semper coniunctum, et ita legitur, ut, si interpretum observationes grammaticorumque praecepta exploraveris, nihil reperias consensu quodam firmatum. Nam de lectione plerumque non constat, ipsum vocabulum in adverbiorum ordines cogitur (Thiersch. gramm. gr. §. 182. Buttmann. gramm. gr. §. 51. Passov. lex. gr. s. v.), atque singulorum locorum sensus non satis est expeditus.

Particulam *φι* sive *φιν*, suffixam illam, vocabulis adiunctam esse probabile est, ut singulares nominum casus repraesentaret. Hoc quo iure ab antiquis grammaticis ad omnes utriusque numeri casus referatur, difficile est ad indagandum, quod res ipsa in summa antiquitatis obscuritate posita est. Apud Homerum exempla quae supersunt ex utroque numero petita ad secundum et tertium casum sine dubio pertinent; neque quidquam impedit, quo minus illud *αὐτόφιν* ad certos casus referamus, quos praepositionis vis postulat. Adverbia autem, quae certis casibus repraesentantur, cum ex ipsis casibus nata esse pateat, mirum est et praeposterum, si vocabula in *φι* exeuntia ab hac ratione eximas localemque et adverbialem vim cum Buttmanno primariam statuas atque postea vocibus tanquam substantivis praepositiones adiunctas esse contendas. Nam ut Buttmanni in hac causa argumentationem considerem, *ὄρεσφι*, *in montibus*, non per se adverbium est in illo versu, Il. λ, 474.

Τρῶες ἔπονθ', ὡσεί τε δαφοινοὶ θῆες ὄρεσφιν —

sed dativus, quem eodem sensu comprobat altera forma, Il. ε, 52.

βάλλειν ἄγρια πάντα, τάτε τρέφει οὔρεσιν ὕλη.

Idem valet de dictione κεφαλῆφι λαβεῖν, Jl. π, 762.

Ἕκτωρ μὲν κεφαλῆφιν ἐπεὶ λάβεν, οὐχὶ μεθίει —

in qua genitivum concedes, sicuti in hoc, Jl. ω, 712.

τιλλέσθην, ἐπ' ἄμαξαν ἐΰτροχον ἀΐξασαι,
ἀπτόμεναι κεφαλῆς —

Itemque si de voce θύρῃφι vim adverbialem non negamus, casu tertio tamen illam significationem localem exprimi, eamque secundariam esse concedes. Hoc idem Homerus probat, si vel hos locos comparaveris, Od. ι, 238.

πάντα μάλ', ὅσσ' ἤμελγε, τὰ δ' ἄρσενα λεῖπε θύρῃφιν —

et Od. ρ, 530.

οὗτοι δ' ἠὲ θύρῃσι καθήμενοι ἐψιάασθων.

Quae de his locis facile intelliguntur atque ipsius Apollonii Alexandrini auctoritate confirmantur (cfr. Bekker. Anecd. gr. p. 621.), luce clariora sunt de multis aliis dictionibus, in quibus praepositiones adiunctae sunt, unde casus pendeant. Neque tamen in hac disquisitione propositum est explorare, si pro αὐτόφι aliae lectiones inveniuntur, quae tenenda sit et cur tenenda sit, sed quae a Wolfio, summo viro, recepta est, eam iure receptam existimo argumentisque, quantum potero, confirmabo. Itaque cum in Homero interpretando viam quam fieri potest simplicissimam persequi placeat, locis, qui idem continent, collectis et inter se comparatis, videamus, qui sit in illis sensus, et quo referendum sit αὐτόφι, breviter exponamus.

Primus locus petitus est ex eo libro Iliadis, quo Agamemnonem splendidis armis instructum copias suas in aciem inducere narratur. Cuius armaturae expositio his versibus finitur, Jl. λ, 43.

εἵλετο δ' ἄλκιμα δοῦρε δύω, κεκορυθμένα χαλκῷ,
ὀξέα· τῆλε δὲ χαλκὸς ἀπ' αὐτόφιν οὐρανὸν εἴσω
λάμπ'· ἐπὶ δ' ἐγδούπησαν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη —

Quo in loco existimo non fore quemquam, qui illud αὐτόφι ab ἀπό seiungat et adverbialiter generaliterque interpretetur. Grammatici ubi αὐτόφιν adverbiis adiungunt, hunc versum non commemorant. Quem si ignorarunt, caruerunt profecto momento non mediocri, quod, quam infirma sit ipsorum sententia, ostendit; si callide omiserunt, ipsi, quantopere vacillet

disputationis firmamentum, haud dubie perspexerunt. Iam si quis quaerat, quo referendum sit αὐτόφι, possit aliquis habere pro ἀπ' αὐτοῦ idque ad Agamemnonem referre, qui armis omnibus indutus ad coelum usque splendorem miserit; sed praestat vocem de solis hastis interpretari, ut sit pro ἀπ' αὐτῶν. Nam vel singulares armorum partes eximium splendorem iaculari dicuntur (Il. ν, 340.); de hastis legitur, Il. κ, 152.

εὗδον· ὑπὸ κρασὶν δ' ἔχον ἀσπίδας· ἔγχεα δέ σφιν
ὄρθ' ἐπὶ σαυρώτῆρος ἐλήλατο· τῆλε δὲ χαλκὸς
λάμφ', ὥστε στεροπὴ πατρὸς Διός.

Tum αὐτόφιν legitur Il. μ, 302., quo loco de Sarpedone narratur in Achivos vehementer irruente, ad eumque spectat haec imago,

βῆ ῥ' ἴμεν, ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅστ' ἐπιδευὴς
δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ,
μήλων πειρήσοντα, καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν·
εἴπερ γὰρ χ' εὕρῃσι παρ' αὐτόφι βώτορας ἄνδρας
σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα —

Quo in loco παρ' αὐτόφιν ab aliis adverbium esse dicitur (Thiersch. l. l.), apud Eustathium ad l. l. una voce repraesentatur, ab aliis ad δόμον refertur (Damm. lex. hom. s. v.); ego παρ' αὐτόφι pro παρ' αὐτοῖς dictum esse existimo idque ad μῆλα spectare volo; quam interpretationem a scholiis brevioribus proponi monet Heynius ad l. l.

Iam consideremus locum, quo Agamemno Achilli se intactam Briseidem reddere per sacrificium adiurat, Il. τ, 252.

Ἀτρεΐδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
ἣ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο,
κάπρου ἀπὸ τρίχας ἀρξάμενος, Διὶ χεῖρας ἀνασχών,
εὔχετο· τοὶ δ' ἄρα πάντες ἐπ' αὐτόφιν εἵατο σιγῇ
Ἀργεῖοι, κατὰ μοῖραν, ἀκούοντες βασιλῆος.

Non dubito equidem, quin ἐπ' αὐτόφιν positum sit pro ἐπ' αὐτῷ idque referendum sit ad Agamemnonem, iuxta quem Achivi ut par erat taciti sedent, regem attente audientes. Quam significationem praepositionis ἐπί (*iuxta, apud*) multa exempla probant, ut Il. ζ, 424.

πάντας γὰρ κατέπεφνε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς,
βουσὶν ἐπ' εἰλιπόδεσσι καὶ ἀργεννῇς ὀΐεσσιν.

et Jl. π, 661. πολέες γὰρ ἐπ' αὐτῷ κάππεσον, *multi enim iuxta eum ceciderant.* Qui interpretum, Heynii imprimis observationes perlustrant, miram invenient de nostro loco varietatem opinionum, quarum nullam equidem probo. Qui ἐπ' αὐτόφι explicant ἐπ' αὐτοῦ sc. τοῦ τόπου (schol. br. Damm. lex. hom. s. v.), contra grammaticas rationes faciunt et contra huius loci sensum. Neque enim locus, ad quem ἐπ' αὐτοῦ referri possit, in praecedentibus commemorātur, neque unquam αὐτοῦ genere neutro generaliter usurpatur cum praepositione iunctum. Qui ἐφείατο αὐτοῦ statuerent (schol. ad l. l.), ridicule agunt, quoniam non in regis humeris hercule sedebant Achivi. Illa tmesis vel in aliis eiusmodi locis statui non potest, ut Jl. *v*, 42. Ernesti autem sententia, respuens *ibidem* et commendans *immoti sedebant et silentes*, quomodo illud ἐπ' αὐτόφιν exprimat, non concoquo. Quae in singulis verbis mutata sunt a veteribus et recentioribus, mutantium ignorantiam egregie comprobant, de loci sensu nihil probant. Koeppenius ad l. l. dictionem explicans verbis ἐπ' αὐτῷ vel solo αὐτοῦ adverbialem vim in utroque statuit cum Thierschio. Eustathius ad Jl. p. 1183, 24. in loci paraphrasi nec ἀπ' αὐτόφι apponit, nec aliis verbis declarat.

Iam ad examen vocetur quartus locus ex ea oratione depromtus, qua Neptunus deos ex pugna decedere iubet et seorsum ab acie considere. Quod ubi suasit, haec verba addit, Jl. *v*, 138.

εἰ δέ κ' Ἄρης ἄρχωσι μάχης ἢ Φοῖβος Ἀπόλλων,
ἢ Ἀχιλῆ' ἴσχωσι, καὶ οὐκ εἰῶσι μάχεσθαι,
αὐτίκ' ἔπειτα καὶ ἄμμι παρ' αὐτόφι νεῖκος ὀρεῖται
φυλόπιδος· μάλα δ' ὦκα διακρινθέντας ὀΐω
ἂψ ἴμεν Οὔλυμπόνδε, θεῶν μετ' ὁμήγυριν ἄλλων,
ἡμετέρῃς ὑπὸ χερσὶν ἀνάγκῃ ἶφι δαμέντας.

Si quid sapio in his versibus interpretandis, Neptunus e pugna se recessurum esse pollicetur; quodsi autem sive Mars, sive Apollo contra pactum proelium subeant, vel Achilli impedimentum qualecunque faciant, minatur, se aliosque, qui Achilli faveant (ἄμμι), ipsos hoc est Martem et Apollinem aggressuros et apud

ipsos esse pugnam excitaturos; eam pugnam tam vehementem fore existimat Neptunus, ut adversarii celeriter victi in Olympum recedere cogantur. Itaque παρ' αὐτόφι est παρ' αὐτοῖς, qui sunt Mars et Apollo. Interpretes mire dissentiunt; alii explicant παρ' αὐτοῦ τοῦ τόπου vel χρόνου· εὐθέως (schol. br.); alii apud Eustathium ad h. l. παρ' αὐτὰ καὶ αὐθωρόν. Quae impugnantur in scholiis B. his verbis, παρ' αὐτοῖς· οὐ παρ' αὐτά· προεῖπε γὰρ αὐτίκα. Quaeritur, quo ille grammaticus παρ' αὐτοῖς retulerit; nam vel Koeppenius αὐτόφι habet pro παρ' αὐτοῖς, sed perperam ita interpretatur, νεῖκος φυλόπιδος ὀρεῖται παρ' ἡμῖν αὐτόφι d. i. αὐτοῖς; *so wird des Kampfes Lust sich bei uns selbst sogleich erheben.* Haec Homeri verbis parum respondere, ipse vides. Itaque omnes illas opiniones improbamus partim verborum sensu ducti, partim grammatica ratione.

Quintus locus reperitur in eo Iliadis libro, quo Achilles in Patrocli defuncti honorem certamina instituit. Qua opportunitate Nestor, senex venerandus, donis ab Achille ornatus de se iuvene multa praedicat, quibus vel haec adiicit, Il. ψ, 638.

οἵοισίν μ' ἵπποισι παρήλασαν Ἀκτορίωνε,
πλήθει πρόσθε βαλόντες, ἀγασσάμενοι περὶ νίκης,
οὕνεκα δὴ τὰ μέγιστα παρ' αὐτόφι λείπετ' ἄεθλα.

Quid de his verbis et de verbis παρ' αὐτόφι imprimis coniici possit, exponunt Koeppenius et Heynius in observationibus. Ego et ratione et constantia ductus interpretor παρ' αὐτοῖς idque refero ad equos. Si formarum expositionem spectas, recentiores interpretes a veteribus huius loci indagatoribus iudicii sanitate superantur. Nam vera dederunt, qui apud Eustathium p. 1321, 6. sic disputant, οὕνεκα δὴ τὰ μέγιστα παρ' αὐτόφι, ἤγουν ἐν τῷ ἱππεύειν ἢ παρὰ τοῖς ἵπποις λείπετ' ἄεθλα. Illud ἐν τῷ ἱππεύειν ad sensum bene (cfr. Eustath. ad Il. p. 1321, 44.), sed alterum praestat. In scholiis quoque παρ' αὐτόφι pro παρ' αὐτοῖς dici monetur; sed illud αὐτοῖς idem valere volunt, quod νενικηκόσι, quod temere illatum est. Res simplicissima est. Quo loco certamina instituuntur, praemia certaminis proponuntur. Iam in certaminibus equestribus praemia apud equos iaceant necesse est hoc est eo loco, quo equi cum curribus tanquam e carceribus emittuntur, quo certaminum iudices de victoria decernunt, quo redeunt

superato stadio certantes. Haec patent ex ipso Iliadis libro vicesimo tertio.

Sextus locus, quo tanquam in cardine reliquos locos moveri volunt, legitur Il. *ν*, 39.

> Τρῶες δέ, φλογὶ ἶσοι, ἀολλέες, ἠὲ θυέλλῃ,
> Ἕκτορι Πριαμίδῃ ἄμοτον μεμαῶτες ἔποντο,
> ἄβροτοι, αὐτάχοι· ἔλποντο δὲ νῆας Ἀχαιῶν
> αἱρήσειν, κτενέειν δὲ παρ' αὐτόφι πάντας Ἀχαιούς.

At hic ipse locus ad reliquos illos accommodandus esse videtur; nam in declarando scriptorum sensu quis lucidiora offuscet tenebris, quum obscura luce illustranda sint. Iam cum alicui dubium esse possit, utrum παρ' αὐτόφι adverbialiter dictum esse contendat, an pro παρ' αὐταῖς habeat et ad naves referat, quoniam sensus utrumque fert, ego posteriorem interpretationem amplector tum propter reliquorum locorum consensum, tum propter maiorem perspicuitatem et vividitatem, tum quod qui αὐτόφι pro adverbio αὐτοῦ vendere volunt, nullum apud Homerum locum inveniunt, quo αὐτοῦ cum praepositione iunctum esse appareat. Homerus igitur in repraesentando genere feminino reliquorum locorum sonum servavit, quum vel ηφι et οφι in vocabulis primae declinationis promiscue usurpabantur, prout rationes metricae, valentissimae illae, postulabant. Cuius rei ut exemplum afferam ab ἐσχάρη, *focus*, nunquam fit ἐσχάρῃφι (quamquam haec forma exspectatur), quippe quae rationi metricae minus accepta sit, syllaba brevi duabus longis inclusa; neque enim aliae formae in ηφι exeuntes idem impedimentum faciunt, ut ἀγέλῃφι (Il. β, 480.), ἀγλαΐῃφι (Il. ζ, 510.), γενεῇφι (Il. ξ, 112.), ἠνορέῃφι (Il. δ, 303.), κεφαλῇφι (Od. υ, 94.), παλάμῃφι (Il. γ, 338.), κρατερῇφι (Il. φ, 501.), φαινομένῃφι (Il. ι, 618.), alia. Quare habes apud Homerum in casu tertio aut ἐσχάρῃ, quod dactylum repraesentat, sequente videlicet vocali, ut ἡ μὲν ἐπ' ἐσχάρῃ ἧστο, Od. ζ, 52. κατ' ἄρ ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσιν, Od. η, 153. cfr. ibid. 160. ἐπ' ἐσχάρῃ· οὐδὲ συβώτης, Od. ξ, 420. ἀνέκαιον ἐπ' ἐσχάρῃ ἀκάματον πῦρ, Od. υ, 123. παρ' ἐσχάρῃ, οὔποτ' ἔφησθα, Od. ψ, 71. aut longiorem formam offendes metro accurate respondentem, ἐσχαρόφιν, ut ἐπ' ἐσχαρόφιν, Od. ε, 59. τ, 389. et ἀπ' ἐσχαρόφιν, Od. η, 169. Quam formam si grammaticorum quidam ab ἔσχα-

ρος ducunt, faciunt illi quidem satis temere, quoniam eius vocabuli exemplum ostendi potest nullum.

Reperiuntur vel alia quaedam exempla, quibus nominum formas ex aliena declinandi ratione effectas videmus, si formatio poetis accepta esset metrumque sublevaret. Hoc nomine Hesiodi locus laudatur (Scut. Herc. 7.), *βλεφάρων κυανεάων*, quum substantivum neutrius generis iure habetur; atque Buttmannus (gramm. gr. ampl. I, p. 153.) adiungit formam homericam *ἐάων* (cfr. Jl. ω, 528.), quam nonnisi a verbo EA i. e. *ἀγαθά* derivandam esse probabiliter coniicit, Apollonii Sophistae auctoritate innitens. Cuius formationis exempla antiquissimis temporibus, verborum terminationibus nondum certa ratione constitutis, plura exstitisse viro doctissimo persuasum est, atque poetarum posteriorum, Callimachi, Quinti Smyrnaei, loci fidem faciunt Quae ratio in superioribus proposita est, valet aeque in quaestione de adverbiis *αὐτόθι* et *αὖθι*, modo nude scriptis, modo cum praepositione iunctis, ita ut praepositio nunc ad adverbium referatur adeoque nonnunquam in unam vocem coaluerit, nunc ad verbum sententiae dicatur spectare. Qua quaestione diligentius perpensa apparet plerumque dici *αὐτόθι* solum, idque septies decies (Jl. ι, 618. κ, 443. ξ, 119. π, 294. τ, 403. φ, 496. ω, 707. 673. Od. δ, 302. 508. ζ, 245. λ, 356. μ, 161. ξ, 285. 525. ρ, 254. ω, 463.); restant quatuor loci, in quibus praepositio cum *αὐτόθι* coniungenda quibusdam videtur (*λιπέτην δὲ κατ' αὐτόθι πάντας*, Jl. κ, 273. *τὸν δὲ κατ' αὐτόθι λεῖπεν*, Jl. φ, 201. *κατ' αὐτόθι τόξα λιπόντε*, Od. φ, 90. *ἠρήσατο - παρ' αὐτόθι μῆλ' ἱερεύσειν*, Jl. ψ, 147.); at in tribus haud dubie ad verbum pertinet, quae tmesis in ipso verbo *λείπειν* ita apud Homerum invenitur, ut praepositio aut praecedat (Jl. ω, 725. cfr. Jl. κ, 209. ω, 580. δ, 173. β, 160.), aut sequatur (Jl. ρ, 91. Od. σ, 257.). Adverbium *αὖθι* nude ponitur frequentissime; quare locos non recenseo singulos; praepositionem adiunctam itidem quater habes (*κατ' αὖθι λίπον*, Jl. ρ, 535. cfr. ω, 470. *παρ' αὖθι μένον*, Jl. ψ, 163. *κατ' αὖθι γόων*, Od. κ, 567.); in tribus locis aeque atque modo de tribus aliis versibus iudicavimus, tmesis statuenda est. Qui restant duo loci singulares (Jl. ψ, 147. Od. κ, 567.) ad tmesin non facile revocandi excusationem habent cum in soni similitudine, cuius rationem non magnopere urget poeta, tum in metri quadam commendatione. Cuius rei innumera exem-

pla Homeri carminibus continentur, veluti ἀπ' οὐρανόθεν, εἰς ἅλαδε, ὅνδε δόμονδε et, quod instar omnium apponimus, τοῖσδεσι sive τοῖσδεσσιν.

Quae cum ita sint, in loco Iliadis (ν, 39.) formam αὐτόφι servatam esse existimo, quum dactylicum numerum mirifice sublevet. Veteres interpretes de illo loco ne verbum quidem monent; Heynius aliorum sententias proponens, ipse ut plerumque ambigit. Koeppenius haec habet, αὐτόφι, παρὰ sc. ναυσί; vereor, ne minus recte, ita ut αὐτόφι adverbialiter acceperit idque ad naves retulerit.

CAPUT TERTIUM.

DE SENTENTIARUM QUARUNDAM HOMERICARUM CONSTRUCTIONE SINGULARI.

In Homeri carminibus interpretandis cum tanta sit difficultatum varietas, ut non solum verba obscuriora, quae leguntur, strenui ingenii ope indigeant, verum etiam quae non leguntur, recte indagari et suppleri debeant, agedum periculum faciamus interpretationis, quae in nonnullos eosque impeditiores Homeri locos ita quadrat, ut singulis lucem quandam affundere et rationem proponere videatur, ad quam poeta in verbis componendis legem sibi et normam constituit. Agemus igitur de tribus potissimum locis homericis, Od. ζ. 208.

δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε.

Il. ν, 237.

συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν.

Il. π, 43.

ὀλίγη δέ τ' ἀνάπνευσις πολέμοιο.

Hae enuntiationes vel obiter consideratae similitudinem et cognationem aperte

declarant, et sunt illae quidem ex eadem mente interpretandae. Quod ut perficiatur, potest aliquis suo iure ellipsin statuere, si minus curat Hermanni, summi viri, praeceptum, cavendum esse, ne ellipsis confundatur cum eo dicendi modo, in quo id omittatur, quod e praecedentibus vel sequentibus verbis intelligendum sit. Quo praecepto verissimo ut graecorum scriptorum sermonem ab illis ellipsium sordibus, quas plerumque grammatici intulerunt, vir praestantissimus liberavit, ita idem rectissime contendit, praedicatum per ellipsin omitti nullo pacto posse, quoniam, cum omnis sententia hunc finem habeat, ut praedicetur aliquid de aliqua re, apertum sit, eam nullam prorsus futuram esse sententiam, qua de aliqua re nihil praedicetur. Nobis igitur ellipsi quam dicimus abiecta cum ad perspiciendam Homeri mentem singulare genus constructionis enucleandum sit, in tribus illis locis omissum est aliquid, et omissum est praedicatum ex substantivo, quo subiectum repraesentatur, subintelligendum, ita quidem ut illi nomini repetendo singularis vis et fortior quaedam significatio tribuenda sit. Itaque vocabula δόσις, ἀρετή et ἀνάπνευσις, quum subiectum indicant, notionem suam simpliciter indicant; ad praedicatum constituendum quum repetuntur, eandem notionem habent, sed intensivam et quasi praegnantem.

Etenim etsi rebus nomina imposita sunt, ut earum notionem complectantur, naturam et rationem, virtutes atque conditiones indicent, saepe tamen ita fert hominum quaedam sive perversitas, sive liberalitas, ut quibusdam rebus nomina concedantur, quorum notiones ab ipsis illis rebus paullo recedunt, immo prorsus abhorrent, neque reapse et veritate, sed nomine tantum et specie continentur. Itaque circumspiciendum est, ne vana nomina et ornantia rebus impertiantur, sed veracia et significantia, neque loquendi formulae ad sonum inanem redeant, sed ad rationem quandam rerum naturae convenientem. Quid multa? Haec significationis varietas per gradus quosdam constituta, in rerum natura hominumque vita saepissime conspicitur et ex comparatione facile elucet. Cuius rei ut exemplum afferamus, notum est Romae anno 695 a. u. c. consules fuisse L. Calpurnium Pisonem et A. Gabinium. At Cicero in epistola (I, 9, 33.) ad Lentulum quum scribit illius anni memoriam referens, *postea quum tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque res publica consules*

haberet, sed mercatores provinciarum et seditionum servos ac ministros cet., vides facile *consules* non simplicem vocis vim exprimere, sed intensivam. Neque enim rem publicam illo anno consules habuisse negatur, sed illos quidem suum officium ita explevisse probatur, ut consulum nomine prorsus indigni videantur; et sane hercle vitam eorum qui cognoverit, nomine quidem consules eos dicat, re vera non dicet.

